UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

M. DC. LXI. Coloniae Munatianae, 1661

Trigesima quarta causa. Ter dena quarta nubit vivente marito. Duæ quæstiones trigesimæ quartæ causæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62953

Visual Library

Ideò non duo à principio facti vir & mulier, neque duo viri, neque duæ mulieres: ſed primùm vir, deinde ex eo mulier. Vnam enim naturam volens hominum conſtituere Deus, ab uno principio creaturæ hujus incipiens, multarum, & diſparium naturarum eripuit facultatem.

Evidentiſſimè itaq; apparet, ita virum eſſe caput mulieris, ut nulla vota abſtinentiæ, vel religioſæ converſationis liceat ſibi ſine ejus licentia Deo offerre: etiamſi viro permittente repromiſſa fuerit, non licet ei votum opere complere, cùm vir voluerit revocare permiſſum. Vota verò continentiæ ita alterius permiſſu ab altero valent offerri, quòd poſt permiſſionem non valent in irritum deduci.

CAVSA XXXIV.

QVidam vir in captivitatem ductus eſt: poſtea uxor ejus audiens illum mortuum, nupſit alii: demum ille captivitate rediens, repetit uxorem ſuam: illa poſteriorіs amore capta aſpernatur torum prioris viri.

1 *Nunc primùm quæritur, an ſit iſta rea adulterii, quæ vivente viro ſuo, alteri nupſit.*

2 *Secundò, an redeunte primo ſit cogenda recedere à ſecundo, & redire ad primum.*

QVÆSTIO I. & II.

1 VTraq; *quæſtio terminatur auctoritate* a Leonis Papæ, *qui ſcribens Nicetæ Aquileienſi Epiſcopo, epiſt. 77. cap. 1. & ſequentibus, ait.*

C. I. ¶ *Quæ alii nupſerit, putans virum ſuum mortuum eſſe, illo redeunte ad priorem redire cogitur.*

CVm *b* per bellicam cladem, & per graviſſimos hoſtilitatis incurſus ita quædam dicatis diviſa eſſe conjugia, ut abductis in captivitatem viris, fœminæ eorum remanſerint deſtitutæ, quæ viros proprios aut interemptos putarint, aut nunquam à dominatione crederent liberandos, & ad aliorum conjugium ſollicitudine *c* cogente tranſierint: cumque nunc, ſtatu rerum auxiliante Domino in meliora converſo, nonnulli eorum, qui putabantur periiſſe, remeaverint, meritò charitas tua videtur ambigere, quid de mulieribus, quæ aliis conjunctæ ſunt viris, à nobis debeat ordinari. Sed quia novimus ſcriptum, quòd à Deo jungitur mulier viro, & iterum præceptum agnovimus, ut quod *d* Deus junxit, homo non ſeparet, neceſſe eſt, ut legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, remotis malis, quæ hoſtilitas intulit, unicuique hoc quod legitimè habuit, reformetur: omnique ſtudio procurandum eſt, ut recipiat unuſquiſque, quod proprium eſt. ¶ Nec tamen culpabilis judicetur, & tanquam alieni juris pervaſor, qui perſonam ejus mariti, qui jam non eſſe exiſtimabatur, aſſumpſit. Sic enim multa quæ ad eos, qui in captivitatem ducti ſunt, pertinebant, in jus alienum tranſire potuerunt: & tamen plenum juſtitiæ eſt, ut eiſdem reverſis propria reformentur. Quòd ſi in mancipiis, vel in agris, aut etiam in domibus, ac poſſeſſionibus ritè ſervatur, quantò magis in conjugiorum redintegratione faciendum eſt? ut ſic, quod bellica neceſſitate turbatum eſt, pacis remedio reformetur? Et ideò, ſi viri poſt longam captivitatem reverſi, ita in dilectione ſuarum conjugum perſeverant, ut eas cupiant in ſuum redire conſortium, omittendum eſt, & inculpabile judicandum eſt, quod neceſſitas intulit, & reſtituendum, quod fides poſcit. *& infrà,* e *c. 4.* ¶ Sin autem aliquæ mulieres ita poſteriorum virorum amore ſunt captæ, ut malint his cohærere, quàm in legitimum redire conſortium, meritò ſunt notandæ, ita ut etiam ecleſiaſtica communione priventur, quæ *a* de reatu [illegible] ſabili contaminationem criminis elegerunt: oſtendentes ſibimet pro ſua incontinentia placuiſſe, quod juſta remiſſio poterat expiare. Redeant ergo in ſuum ſtatum voluntaria redintegratione conjugia: neque illo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahitur, quod conditio neceſſitatis extorſit: quia ſicut hæ mulieres, quæ reverti ad viros ſuos nolunt, impiæ habendæ ſunt; ita illæ, quæ in affectum initum ex Deo redeunt, merito ſunt laudandæ *b* judicio.

C. II. ¶ *Viro, vel uxore de captivitate redeuntibus, propria redintegrentur conjugia.*

Item Innocentius Papa *Probo in epiſt. 9.*

CVm in captivitate *c* Vrſa mulier teneretur, [illegible] conjugium cum conſtituta Fontanum *d* [illegible] cognovimus. Sed favore Domini reverſa Vrſa nos [illegible] & nullo diffitente uxorem ſe memorati eſſe [illegible] Qua de re domine fili merito illuſtris, ſtatuimus fide catholica ſuffragante illud eſſe conjugium, quod primum erat gratia divina fundatum: conventumque ſecundæ mulieris, priore ſuperſtite, nec divortio ejecta, nullo pacto eſſe legitimam.

C. III. ¶ *Quæ primo viro relicto, ſecundo adhæſerit, niſi ſecundum relinquens, primo reconciliari non poteſt.*

Item Hieronymus *ad Amandum Presbyterum*

NOn ſatis animadvertere *e* potui, quid ſibi [illegible] dicere voluit [alio viro per vim accepto.] Quid eſt per vim accepto? congregata videlicet multitudo [illegible] lentem rapuit. Et quare poſtea raptorem [illegible] miſit? legat libros Moyſi, & inveniet deſponſatam [illegible] ſi in civitate fuerit oppreſſa, & non clamaverit, [illegible] quaſi adulteram: ſi autem in agro oppreſſa [illegible] eſſe à ſcelere, & violentum legibus ſubjacere. Ergo & [illegible] ſta ſoror, quæ, ut dicit, vim paſſa eſt, ut alteri jungeretur, ſi vult corpus Chriſti accipere, & non adultera [illegible] agat pœnitentiam: ita duntaxat, ut ſecundo viro, [illegible] non appellatur vir, ſed adulter, à tempore [illegible] non copuletur. Quòd ſi durum ei videtur, & [illegible] lectum non poteſt derelinquere, nec præferre Domino voluptati, audiat Apoſtolum *f* conclamantem [illegible] teſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: Non poteſtis menſæ Domini communicare, & menſæ dæmoniorum.] & alio *g* loco: [Quæ communicatio [illegible] ac tenebris? qui conſenſus Chriſto, & Belial?] [illegible] vam loquor, imò non novam, ſed veterem, quæ [illegible] teſtamenti auctoritate firmatur. Si reliquerit ſecundum virum, & reconciliari priori voluerit, non poteſt. [illegible] eſt enim in Deuteronomio *h* [Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam [illegible] ſpectu ejus, propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu ejus, & dimittat eam de domo ſua. Cumque egreſſa adultera *i* maritum [illegible] le quoque oderit eam, dederitque ei libellum [illegible] dimiſerit de domo ſua, aut certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam uxorem, quia polluta & abominabilis facta eſt coram Domino, ne [illegible] facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradet tibi poſſidendam.]

a *In Cod. canonum, cap. 42.* b *Sent. 4. diſt. 38. Polyc. l. 6. tit. 4. Anſ. l. 10. c. 22. Burc. l. 9. c. 55.* c *ſolitudine.] orig. Ivo p. 8. c. 244. & 190. 191. 192. Pann. l. 6. c. 87.* d *Matth. 19. Ejuſdem epiſt. c. 2.* e *C. 3. Burc. l. 9. c. 56. Ivo p. 8. c. 193. Burc. l. 9. c. 57. Ivo pa. 8. c. 92. Pann. l. 6. c. 88.*

a *al. quia inexcuſabiliter contam. &c.] orig.* b [illegible] *biles judicandæ.* c *Ivo p. 8. c. 245. Pann. l. 6. c. 89.* d [illegible] *ſe miſſe cognoſcitur.]* e *Senten. 4. diſtinct. 3[illegible]* f *1. Cor. 10.* g *2. Cor. 6.* h *Deut. 24.* i [illegible] *lectio.* k *al. nec.*

¶ Verba hujus capitis in epiſtola B. Hieronymi, & in Polycarpo proximè ſequuntur poſt ea, quæ referuntur ſup. 32. q. 7. c. omnes cauſationes. Ideoq; apud ipſos initium hoc ita habet. Neque ſatis animadvertere.

3 pars. *Si autem inevitabili neceſſitate cogente vir in aliam provinciam fugerit, & uxor ejus eum ſequi noluerit, illo vivente illa innupta permaneat.*

C. IV. *¶ Quæ virum in captivitate ductum ſequi noluerit, maneat innupta, quamdiu vir ejus vixerit.*

Unde in concilio apud Vermerias.

SI *a* quis neceſſitate inevitabili cogente in alium ducatum, ſeu provinciam fugerit, & ejus uxor, cùm valet & poteſt, amore parentum & rerum ſuarum eum ſequi noluerit, ipſa omni tempore quamdiu vir ejus, quem ſecuta non fuit, vivit, ſemper innupta permaneat.

Quod autem de conjugatis auctoritate Leonis Papæ dicitur, hoc enim de conjugibus intelligendum eſt, ut ſi præter conſcientiam viro nupſerit alieno, non teneantur.

C. V. *Non eſt adultera virgo, quæ neſciens viro nupſit alieno.*

Unde Auguſtinus *in libro de fide & operibus, c. 7.*

SI virgo *b* neſciens viro nupſerit alieno, hoc ſi ſemper neſciat, nunquam ex hoc erit adultera. Si autem ſciat, jam hoc eſſe incipiet, ex quo cum alieno viro ſciens cohæſerit: ſicut in jure prædiorum tamdiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſimè dicitur, quamdiù ſe poſſidere ignorat alienum: cùm verò ſcierit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit, tunc malæ fidei poſſeſſor perhibebitur, tunc juſtè injuſtus vocabitur.

4 pars. *Hic c etiam ignorantia excuſat eum, qui neſciens dormivit cum ſorore uxoris ſuæ.*

C. VI. *¶ Non cogatur legitimam dimittere uxorem, qui neſciens dormivit cum ejus ſorore.*

Unde in concilio Triburienſi.

IN lectum mariti *d* abſente uxore ſoror ivit uxoris, quam ille uxorem putans ſuam eſſe, dormivit cum ea. Super hoc viſum eſt, ſi ipſe per ſecuritatem veram hoc probaverit, quòd inſcius fecerit hoc ſcelus, pœnitentiam quidem, quæ ſibi indicta fuerit, agat, & legitimum ſuum conjugium habere permittatur. Illa verò vindicta digna affligatur, & in æternum conjugio privetur.

C. VII. PALEA.

[*Item* Hermes *in libro Paſtoris, mandato quarto.*]

EGo dixi *e* paſtori: domine, ſi quis habuerit uxorem fidelem in Domino, & invenerit hanc in adulterio, numquid peccat vir, ſi cum illa concumbit *f*? Et dixit mihi. Quamdiu neſcit peccatum ejus, ſine crimine eſt vir vivens cum illa. Si autem ſcit vir uxorem ſuam deliquiſſe, & non egerit pœnitentiam mulier, ſed permanet in fornicatione ſua, & coierit *g* vir cum illa, reus erit peccati ejus, & particeps mœchationis illius. Et dixi illi. Quid ergo ſi permanſerit in vitio ſuo mulier? & dixit. Dimittat illam vir, & vir per ſe maneat. Quòd ſi dimiſerit mulierem ſuam, & aliam duxerit, & ipſe mœchatur. Et dixi illi. Quid ſi mulier dimiſſa pœnitentiam egerit, & voluerit ad virum ſuum reverti, nónne recipietur à viro ſuo? Et dixit mihi. Imò, ſi non receperit eam vir ſuus, peccat, & magnum peccatum ſibi admittit: ſed debet recipere peccatricem, quæ pœnitentiam egit. Ergo non debet dimiſſa conjuge ſua vir aliam ducere. Hic actus ſimilis eſt in viro & muliere.

a Burch. l. 5. c. 14. Ivo p. 1. c. 189. Pann. l. 6. c. 91. b *Poly. ibid.* c al. ſic. d *Burch. l. 17. c. 4. & lib. 19. c. 273.* e *Ivo part. 8. c. 241. Pann. l. 7. c. 38. Sent. 4. diſt. 35.* f *convivit.] orig. ext. de adul. ſi vir.* g *convivit.] orig.*

¶ In hoc capite emendata & addita nonnulla ſunt ex originali, & cæteris collectoribus.

6 pars. *De ſimpliciter verò fornicantibus, vel cum duabus ſororibus, vel cum matre & filia, vel cum patre & filio idem accipiendum: ut ignorantibus conjugia non negentur, ſcientibus perpetuò prohibeantur.*

C. VIII. *¶ Matrimonia non prohibentur contrahere, quorum inceſtum ignorantia excuſat.*

Unde in eodem concilio Triburienſi *legitur.*

SI quis *a* cum duabus ſororibus fornicatus fuerit, & ſororem ſoror ab eodem antea ſtupratam neſcierit, vel 1 ſi ipſe ſororem ejus, quam antea ſtupraverat, non intellexerit, ſi dignè pœnituerint, & ſe continere non valuerint, poſt annos ſeptem conjugia illis non negentur. Si autem non ignoraverint, uſque ad mortem à conjugio abſtineant.

Burchardus etiam citat ex Triburienſi, c. 9. Et quiddam ſimile habetur in Triburienſi impreſſo, c. 45. quemadmodum etiam in Vuormacienſi, c. 33.

1 ¶ Vel ſi ipſe] *Sic reſtitutum eſt ex Burchardo. Antea legebatur,* vel ſe ſororem.

C. IX. *¶ De eodem.*

Item *ex eodem.*

SI *b* quis cum matre & filia fornicatus eſt, ignorante matre de filia, & filia de matre, ille nunquam accipiat uxorem, illæ verò, ſi voluerint, accipiant maritos, ſi autem hoc ſcierint ipſæ fœminæ, abſque maritis perpetuò maneant.

¶ Gratianus hoc idem caput, quod hîc citat ex Triburienſi, infrà 35. q. 2. refert ex concilio apud Vermerias, itemq; Burchardus & Ivo: ſententia habetur in Vuormacienſi, c. 63.

C. X. *¶ De eodem.*

Item *in eodem.*

QVidam fornicatus eſt cum quadam muliere: poſtea filius neſciens factum patris, ſtupravit eandem. Quod cùm pater reſciret, de ſe, filioque confeſſus eſt. Statuerunt melius eſſe, ut taliter lapſis, cum digna pœnitentia, legitima permittantur conjugia, quàm fortè deterius delinquant. Fornicaria autem ſine ſpe conjugii maneat.

CAVSA XXXV.

QVidam vir mortua uxore ſua aliam ſibi in matrimonio copulavit, quæ uxori defunctæ quarto gradu conſanguinitatis, viro autem ſexta linea c adhærebat. Poſt triennium verò liberis ex ea ſuſceptis, accuſatur apud eccleſiam: iſte prætendit ignorantiam.

1 *Hìc primùm quæritur, ſi liceat aliquam ex propria cognatione duci in uxorem.*
2 *Secundò, ſi ex conſanguinitate uxoris aliqua poſſit in conjugem duci.*
3 *Tertiò, uſq; ad quem gradum debeat quiſq; abſtinere ſive à propriis, ſive ab uxoris ſuæ conſanguineis.*
4 *Quartò, quare uſq; ad ſextum gradum conſanguinitas computatur, ita quòd nec ultrà protenditur, nec infrà ſubſiſtit.*
5 *Quintò, quomodo gradus conſanguinitatis computandi ſunt.*
6 *Sextò, qui jurejurando propinquitatem firmare debeant.*
7 *Septimò, an illi, qui de inceſtuoſis nati ſunt, filii reputentur.*
8 *Octavò, ſi ignoranter de conſanguinitate vel affinitate aliqua in uxorem ducta eſt, an ex diſpenſatione poſſit viro ſuo adhærere.*
9 *Nonò, ſi contigerit eccleſiam decipi, & cauſa conſanguine-*

a *Burch. l. 17. c. 5. & lib. 19. c. 273.* b *§. 35. q. 2. ſi quis cum matre. Burch. l. 17. c. 12. Ivo p. 9. c. 72. Concordat Triburien. impreſſum, c. 43.* c *al. linea cognationis.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN